



X 450



DISPUTATIO ACADEMICA
Quâ
ORTUS PRINCI-
PIORUM IN MENTE
HUMANA

secundum Aristotelis Philosophiam
defenditur,

Quam
Amplissimi & Spectatissimi
SENATUS PHILOSOPHICI

In Illustri Salanâ
gratioso indultu
publico Eruditorum examini sistit

PRAESIDE

M. VALENTINO *Zelthem*
Hallensi Saxone

AUTOR - RESPONDENS

JOHANNES CHRISTIANUS *Benige*

Visenâ Thuringus

Ad d. 4. Aug.

Anno M DC LXIX.

X 150 (76)

In aroaterio Philosophorum.

J E N Æ,
Literis Joh. Jacobi Bauhoferi.

DISCIPULUS ACADEMICUS

ORRIS PRINCIPALIS

PIORUM IN MENTE

HUMANANA

Academiae Philosophicae

habitatione

Amplissimum est Spectaculum

SENATUS PHILOSOPHICI

In Illust. Saluti

gratulo salutem

habito Exordium in

PRÆSIDE

M. VALENTINO

Philosophico

Amplissimo

JOHANNES CHRISTIANUS

Vices Philosophici

in

Anno MDCCLXIX

in Academia Philosophica

FEIN

in Academia Philosophica





AUSPICE MENTIS DIRECTORE!

PROOEMIUM.



Edrum praeclara *Mercurii illius antiquis-*
mi (quem *Suidas Trismegistum*, hoc est. ter
maximum, appellatū refert, quia oraculum
locutus fuerat de ter maximâ Trinitate: a-
liis hoc cognomento venit, postquam a-
pud *Aegyptios* eo, quo *Moyfes* natus est, tem-
pore Philosophus evasit summus, Sacer-
dos summus & summus Imperator. vid. *Casaub: Exercit. l.*
contra Baronium Sect. 10.) verba promerentur, quando ho-
minem nexum *DEI vocat & mundi*: Rationem si quaesiveris
hujus *Mercurialis* effati, illa ipsa, ut putamus, fuerit, ob
quam homo antiquis sapientibus aliis *Horizon* (finientem
Cicero, Martianus Capella finitorem appellat) *inter naturam*
corpoream & incorpoream dicebatur: siquidem homo habet
naturam & sensitivam & intellectivam: Respectu illius, cum
ipsa materialis sit & corporea, vi feminis producibilis, cor-
ruptibilis, inque omnibus suis operationibus communicans
cum corpore, convenit cum rebus corporeis: Hujus ra-
tione, quoniam ea spiritualis est & immaterialis, ἀγέννητος
& ἀνώλετος, uti sapientissimus *Plato in Phaedro* loquitur, in-
generabilis & incorruptibilis, ἀμύγης, sincera, pura, imper-
mista, h. e. cum nullo organo permista, sed ab omni soluta,
similis evadit intelligentiis. Hanc rationem humana nostra
ratio in lumine naturae sibi relicta quaerendo pervestigat &
in ipsius *Philosophi consummatissimi Aristotelis Philosophi* l. 2.
de Gen. animal. c. 3. l. 1. de Anim. c. 2. Text. 31. c. 4. Text. 65. &
seqq. l. 2. Text. 21. l. 3. c. 5. Text. 20. c. 4. T. 4, 6, 7, 13. l. 1. Me-
taph. c. 7. Text. 18. inq. aliis locis innumeris continetur claris-
simè.

simè. Pro dilucidatione veriverbii veterum philosophorum,
ipsiusque Trismegisti, è Patrum quoque monumentis facile
possemus luculentos excitare testes, si foret instituti: Pro-
deant saltem ii, qui alias auditoris Noachi (Mercurium volu-
mus) testimoniis saepe usi sunt: Augustinus & Lactantius:
Augustum illud Patrum fulcrum Augustinus (quoniam divinius
orbi post homines natos terra Lybis a dedit) sat eleganter ita
disferit in sermone 18. super Johann: Alia vita pecorum, alia
hominum, alia Angelorum: vita pecorum terrenis voluptatibus
aestuat, id est, sola terrena quaerit: vita Angelorum sola coele-
stia: vita hominum media & inter vitam Angelorum & vitam
pecorum. Lactantius Firmianus l. 2. divinarum Institutio-
num c. 13. idem egregie tradit: constat, inquit, homo ex ani-
mâ & corpore, id est, quasi è coelo & terrâ: quandoquidem ani-
ma, quâ vivimus, è coelo oritur à DEO, corpus è terrâ. Non ab-
similis à Lactantio (aureum illud eloquentiae flumen) Chryso-
stomus, quando inter alia c. 15. de irâ DEI hoc modo se expli-
cat: Nos ex duobus repugnantibus compacti sumus: animâ &
corpore: quorum alterum coelo adscribitur, quia tenue est & in-
tractabile: alterum terra, quia comprehensibile est: alterum
solidum & aeternum est: alterum fragile atque morta-
le. Paucis: sumus rationales nos & Dii, sed mortale
appositum disjungit nos ab illis: Ita loquimur cum Por-
phyrio ex l. universalium: Nihil est DEO similis, quam vir a-
nimo perfecto bonus, qui hominibus caeteris antecellit, quod ipse
à Diis immortalibus distat, inquit Lucius Apuleius de DEO So-
cratis. Quantum igitur cordatiorum quisque divinum an-
tefert terrestri, perenne caduco, immortale mortali, coe-
leste terreno, purum impuro, solidum fragili: tantum est,
quo prae corporeâ nostri parte pars in nobis divini spiritus
merita cogitationes nostras magis magisque oblectet. Dioge-
nes, quoties considerabat in hominum vitâ civitatum gu-
bernatores aut Philosophos, nullum animal dicebat esse
homine sapientius: Idem contemplanus eos, qui gloriae di-
vitiis-

vitiisque servirent & hujus generis coeteros, aiebat, sibi nihil homine videri stultius. Indicans hominis ingenium, ad res optimas accommodum, si exerceatur: sin ad vitia degeneret, longè esse infra mutas pecudes: teste *Laërtio l. 6.* Cum itaque mens humana ex interpretatione Sacerdotum sapientiarum demum sit & habeatur perfecta, quando semet in operationem exerit: (quamdiu enim res est saltem in potentia ad operationem immanentem, tamdiu actuabilis manet & perfectibilis, ut *Doctores Scholae* vulgò loquuntur) iure meritoque is, qui sui perfectionem anhelat, Philosophiam habet in deliciis. Habet enim Philosophia delectationes admirabiles puritate & firmitate, teste *Philosopho 10. Ethic.* *Philosophia vera ad felicitatem via est, ejusdemque duo munia maxima sunt: DEUM contemplari & à corporeis sensibus animum sejungere, nec corporis curam gerere.* Ita *Plato*, quem verè ac meritò animorum *Aesculapium* nominavit antiquitas, in *Phaedone* loquitur: *Quis dubitat, quin DEI immortalis munus sit, quod per mentem vivimus: Philosophiae, quod bene & perfectè vivimus: Itaque tantò plus huic nos debere certum est, quàm DEO: quantò majus est beneficium bona & perfecta vita quàm vita. Pro certo haberetur, nisi ipsam Philosophiam DEUS tribuisset.* Ita differimus ad manuductionem gravissimi *Senecae Epist. 91.* *Ad Philosophiam totam mentem converte, huic asside, hanc cole & tunc ingens intervallum est inter te & homines. Omnes mortales antecedes, & dii non multum te antecedent. Idem docet l. de moribus.* Haec mihi bonà mente apud Philosophiam vacanti obiter incidunt eopse tempore, quo meditor positiones breviores publicae Ventilationis incudi submittendas solius certè exercitii gratià Inquiram breviter, quia delectatus videor Philosophiae illecebris, in natales principiorum Philosophiae, ut praemissà, quã ad praesens quaesitum allectus fui, ratione, pateat, quomodò principia prima, quibus tota Philosophiae certitudo innititur, in humanà mente oriantur? Sit venia nostrae ex tempore conscriptae operae!

§. 1. Relatum legimus, antiquitus deprehensos fuisse mortales bipedes, qui cujuscunque rei & sensibilis & intelligibilis certitudinem non tam pro desperatâ habentes, quàm potius desperatissimâ, existimarent, nihil quicquam per sensum vel intellectum cognosci posse, ut magis aliquid de eo possit affirmari, quàm negari. Dicebantur *Sceptici* ἄπο τῆ σκοπέω, à contemplando, quia contemplabantur semper, nunquam verò sententiam posuerunt decisivam: *Aporetici* ἀπορίας ἀποείας, ob perpetuam, cujus retibus implicuerant se totos, dubitationem, in illis quoque, quae antea habuerant pro maximè certis: *Pyrrhonic* ab autore suo, cui nomen *Pyrrho* fuerat. De his vid. ipse *Sextus Empiricus* l. 1. *Pyrrhonicarum hypothesium* c. 18. & seqq. *Diogenes Laërtius* in vitâ *Pyrrhonis*, *Aulus Gellius* l. 11. *Noct. Attic.* c. 5.

§. 2. Paulò tenuiora suae opinionis tegumenta quaesiverat *novae Academiae familia*: Ea non diffitebatur, inesse rebus aliquid veri, sed negavit tamen illud ab homine discerni posse, hinc patefecit januam ad verisimile, omni ad veritatem aditu intercluso: quanquam *mediae Academiae Filii* idem ferè cum *Scepticis* carrum traherent: (Erat *Academia* locus Athenis suburbanus, mille passus distans ab oppido, arboribus consitus pulcherrimis, Templis abundans ac monumentis Virorum Illustrum, sic dictus ab *Academio Heroë*: Eò domicilium suum transtulerat *Plato*, *Philosophorum Princeps* & *Aristotelis Praeceptor*, Scholamque ibi instituerat magnâ discipulorum frequentiam, quae *Academia* vocabatur. Progressu temporis haec ipsa Schola in varias abierat sectas, hinc *Plato caput Veteris*, *Carneades auctor novae* & *Arcefilas mediae Princeps Academiae* adhuc hodie nuncupantur:) In hoc tamen *Sceptici* discriminabantur ab *Academicis* ultimò nominatis, quòd *Sceptici* statumarent, se nec de hoc, quòd nullam rem certò cognoscere valeant, certos existere posse: Hi vero fatebantur, se hoc unicum certò scire, quod nihil planè certi sciant.

§. 3.

§. 3. Hanc miseram sententiam solidioris Philosophiae amasio nemo hodie persuaserit unquam: Quippe contrariam manifestat recta ratio, totius *Veteris Academiae, Peripateticorum omnium, & ad huc hodie maximi Nominis Virorum & summè Venerandorum Praeceptorum autoritate & consensu* munita, comprobata. Nemo ex *Aristotelicis* dubitat, an ullae res sensibiles aut imaginabiles existant? Nullus ex iis somniat, num forte DEUS se talem producere voluerit, ut semper fallatur, etiam in iis, quae sibi quàm notissima apparent. Has potius contra *Scepticos* ducunt lineas: Si nulla datur rerum certitudo, aut determinatè & certò dicendum erit, hos errare, qui aliquid certi statuunt, aut nihil determinati dici poterit. Si prius: utique manifestum est, dari aliquam rerum certitudinem: Si posterius: confugiant cum infimâ plebeculâ ad idem crassissimae ignorantiae asylum, inter saniores neminem habebunt comitem. Omnes in universum dissentientes stringuntur hoc ratiocinio: Si nulla dari posset certitudo cognitionis, frustrâ natura hominibus indidisset appetitum scientiae: Frustrâ enim id dicitur, quod non assequitur finem, propter quem est: 2. *Phys. c. 6. Text. 62. & 9. Metaph. Text. 15.* Jam verò DEUS & natura nihil faciunt frustrâ: vid. *Aristot. l. 1. de Coelo Text. 32. & 2. Physic. c. 8. in primis v. l. 1. de partibus animalium, c. 5.* ubi elegantissimè hoc exposuit.

§. 4. Sicut igitur, qui omnem cognitionis, hujus praecipuè, quae per intellectum fit, certitudinem negaret, obsurduisse videtur contra omnem naturae vocem ac sensum; Ita non immeritò quaeritur, unde de certitudine hujus vel istius propositionis nobis satis constet? Dicimus I. hujus praecipuè cognitionis, quae fit per intellectum: Nam duo secundum speciem & realiter in nobis distincta (ut materiale & immateriale, organicum & inorganicum *l. 2. de Gen. animal. c. 3.*) dantur cognoscendi principia: sensitivum & intellectivum, nec in totâ rerum universitate praeter sensum & intel-

intellectum ulla alia potentia nominari potest, quæ cognoscitiva jure & propriè vocetur: Unde licet constanter negemus, fallax esse judicium sensuum, nec tamen diffitemur, excellentiori modo nobis constare de intellectus nostri in cognoscendo certitudine, utpotè cum intellectus noster sensuum errorem (si talis ob defectum unius vel alterius requisiti, quo quando privatur sensus, non potest esse constitutus in actu primo, proximo & sufficienti ad eliciendum actum, quandoque contingat) facile possit corrigere: Sic, experientiâ teste, visui hominis peregrinantis videtur saepius acsi moveantur arbores & ambulent, quem tamen errorem intellectus in homine iter faciente facile corrigit, neque necessum est, in hoc ipso objecto intellectum quoque errare, ut proinde misera sit consecutio: Sensus in hoc decipitur. Ergo & intellectus. Dico 2. de hujus vel istius propositionis certitudine: Nam aliud est propositionem esse veram, aliud esse certam: Ad veritatem propositionis sufficit conceptus (tàm formalis, quàm objectivi) cum ipsâ re, de quâ aliquid affirmatur vel negatur, conformitas: Certitudo verò propositionis insuper exigit, ut talis conformitas intellectui componenti vel dividenti satis & perspicuè innotescat; sic multae propositiones sunt determinatè verae, vel determinatè falsae, quae tamen non sunt certae: sic e. g. una harum propositionum; Numerus stellarum est par: Numerus stellarum est impar: It: Terra movetur; Terra non movetur; determinatè vera est, altera determinatè falsa: Illa enim, quae objecto, de quo nunc loquimur, conformis est, est determinatè vera: quae verò eidem conformis non est, determinatè falsa est: Et tamen de neutrius certitudine ulli liquet mortalium: Imò producantur in scenam duae propositiones contradictoriae, sive sint de praesenti, sive praeterito, sive futuro, sive de contingenti sint, sive de necessario, altera profectò semper erit determinatè vera. Idem sensisse videtur summus Philosophus *l. de Interpret.*

terpret. c. 8. & 9. id quod obtinebimus ex mente ejus, præ-
suppositâ, (quâ *Scholae Doctores* utuntur) inter doctrinae &
inter moris veritatem, distinctione: Propositionum con-
tradictoriarum, etiam de futuro contingenti, altera dicit
determinatam veritatem, altera determinatam falsitatem:
veritatem aut falsitatem doctrinae, largimur facile: verita-
tem aut falsitatem, ut vocant, moris, negamus constanter.
Sic haec propositio in chartam conjecta: Cras salvabimus
hanc Aristotelis mentem, hoc stante, nos obtenturos fore
crastino die, ita sensisse *Aristotelem*, haec, quam nunc in char-
tam conjecimus, propositio veritate Doctrinae determina-
tè vera est, quia veram effert conformitatem cum objecto,
de quo in chartâ fit mentio: Ex parte tamen intellectus no-
stri nondum determinatè est vera, quia tunc tandem con-
formare possumus mentis nostrae conceptum cum hâc pro-
positione chartae traditâ, quando nobis constiterit de con-
formitate hujus externae propositionis cum objecto, in quâ
conformitate interni conceptus nostri cum externâ propo-
sitione veritatem moris collocandam esse duximus.

§. 5. Ob sitim veritatis, missis verborum blandimen-
tis praemittimus firmam, cui nullus saniorum unquam in-
dixit bellum, sententiam: Dantur propositiones, quarum
certitudo elicitur ex aliarum propositionum certitudine &
infallibilitate per mentalem cursum ab uno objecto ad aliud,
vel uno actu ad alium, seu quod idem est, per intellectu-
nem discursivam seu illationem earundem ex aliis cer-
tis propositionibus: Qui enim de hoc dubitat, sibi deesse
sciat & corporis & animi nervos: sic certum est, omne, quod
est, quando est, eo esse, quod est, necessariò esse: Certum est,
te, qui adversum sentis esse, E. ex hoc certò colligitur te,
quando loqueris, quando es, eò quod es, necessariò esse.
Hoc igitur supposito, dari certas propositiones, quarum
certitudo, quanta quanta est, non acquiritur nisi ex certâ a-
liarum propositionum cognitione, (cujus rei declaratio-
nem, si placet, videsis per *Aristotel. integrum à priori resolutione*
B *primum*

primum librum: ex vero nil nisi verum, ex certo nil nisi certum sequitur:) facile interior conceditur admissio ad aureae veritatis, quam nunc contemplaturi sumus, sacraria: Filium, quo ducimur, hoc esto: In limine impingit, qui negat certam propositionem ex certis propositionibus deduci posse: E. pro cerebro habeat pepones necessum est, qui negaverit omnis propositionis certitudinem: Integrum bovem majorem esse suo capite seorsim sumto, quis non pro certo habet? Unde hoc novit intellectus tuus, nisi ex hoc, quia bos, quem cognoscis, totum integrale, seu (ut alii loquuntur) quantitativum est, caput vero bovis pars integralis. Hunc vero, qui negat Totum, ut vocant, quantitativum esse majus sua parte, nullus Physicus audit, nullus exaudit Geometra, remittitur ad Metaphysicum, qui ipsi herbam porrigit. Intimiùs igitur penetramus formale certitudinis, quando controversamur: Numne, quia certa cognitio intellectiva propositionis ex praevia per intellectum facta certa cognitione aliarum propositionum acquisita fuit, omnis cognitio certae propositionis ut sic ex praevia certa cognitione alterius acquiratur? Absit à sobriis auribus affirmativa, absit per omnem modum: Hanc enim statuminare est omnes fenestras, januam & portam aperuisse progressui in infinitum. Si omnis cognitio certae propositionis esset ex alia intellectuali cognitione alius propositionis, nulla esset cognitio certa, quia non esset prima cognitio, ex qua esset alia: Negata priori, etiam reliquae negantur: absolum!

§. 6. Ne igitur ludamus in re seriâ, dicendum est, posse per intellectum certo cognosci propositionem, cujus certa cognitio intellectiva non acquiratur ex alia prioris propositionis certa per intellectum facta (notetur bene: per intellectum facta) cognitione. Intueatur quis *cap. 3. l. r. poster. Analyt. summi Philosophi*, & deprehendet ea, quae sunt in rem nostram, videbit, quam torpida *Heracleti* & *aliorum* sit

sit collectio: subsistendum est in aliquo primo cognito, quod à priori non est cognitum. E. nulla datur certa cognitio, quia certa cognitio non est nisi ex certâ cognitione priori: experietur, quàm evanida sit argumentatio eorum, qui circulo fieri demonstrationem & omnia ex se invicem probari posse putabant; certò cognoscet, dari certam & infallibilem cognitionem per intellectum factam, etiam earum propositionum, quarum cognitio certa omnem certam intellectualem cognitionem à priori excludit. Legatur integrum caput, hujus singula verba nobis singula pondera. Confer. Interpretes: ex Graecis nunc citasse sufficiat Themistium & Philoponum: ex Latinis: Toletum & Zabarellam.

§. 7. Quomodo ergò ad nos talium propositionum certa cognitio perveniat, quaeritur. Haec est quaestio statum nostrae attinens controversiae: nodus certè durus, resolubilis tamen. Sed quomodo? Numné Platonis vestigia legenda? Ipse in dialogo Menonis p. 81. lit: C. D. nervum quaesiti sequentibus incidit modis: Ἄτε τῆς φύσεως ἀπάσης συγγενούς ὄσης, καὶ μεμνημένης τῆς ψυχῆς ἅπαντα, ἃ δὲν κωλύει ἐν μόνον ἀναμνησθέντα (ὅ δὲ μάθησιν καλεῖσιν ἀνθρώποι) τὰλλα πάντα αὐτὸν ἀνευρεῖν, εἴαν τις ἀνδρείος ἦ, καὶ μὴ ἀποκάμη ζυτεῖν. τὸ γὰρ ζητεῖν ἀεὶ καὶ τὸ μανθάνειν ἀνάμνησις ὅλον ἐστίν: ex interpretatione Nicolai Serrani pag. cit: haec ita se habent: *Quum universa natura uno quodam cognatoque genere contineatur & omnia animus didicerit, nihil impedit hominem, uno quodam in memoriam revocato, quod disciplinam vocant, illiusq; semine exsuscitato, omnia coetera invenire, si quis virili animo fuerit, nec investigando defetiscatur: nam instigare & discere omninò est reminiscencia.* Praeclarus certè locus est Platonis, in quo suam adeò famosam opinionem περὶ τῆς ἀναμνήσεως, de reminiscentiâ studiosè ostendit: Videatur in sequentibus, ubi pluribus evincere conatur, sempiternam esse principiorum cognitionem in animo nostro immortali & aeterno, eidemque non communicari, quando demum est in corpore, sed

antecessisse illud tempus, quo animus noliter venit in hoc corpus, & nunc tantum ab aliquo extrinsecus excitante revocari in memoriam ejus, qui illam dicebatur ignorare, quam tamen in animo suo habebat inclusam, idque exemplo pueri, quem inducit, declarat, qui à nemine mathematicas disciplinas didicerat, sed ex se ipso communes illas notiones circumferebat. Conferendus est verò Meno cum Phaedro & Theaeteto: Vid: Nicolaus Serranus in Comment: de Doctrinâ Platonis & de contrariâ Aristotelis sententiae collatione. Idem pluribus refert Alcinous, Philosophus Platonicus in libro de doctrinâ Platonis, c. 4. (editio, quam evolvi, edita est, curâ Marsilii Ficini Florentini unâ cum variis opusculis aliorum, Venetiis Anno M. D. XVI.) de iudicio iudiciario, p. 76. his verbis: Intellectio est operatio intellectus prima intelligibilia speculantis, atque haec quoque duplex esse videtur: una, ante quàm anima descendat in corpus, nam tunc ipsa intelligibilia contuetur: altera postquam in corpus hoc immersa est. Ex iis itaque prima ipsa intellectio proprie dicta est, secunda verò pro intellectione iam naturalis intelligentia nuncupatur intellectio quaedam in animâ subjectâ consistens. Quoties ergò intellectionem scientiae principium dicimus, non eam, quam modò proposuimus, intelligi volumus, sed eam potius, quae animo à corpore soluto convenit, quae quidem, ut diximus, tum intellectio, nunc naturalis intelligentia nuncupatur. Atq; hanc ipsam Plato intelligentiam, cum scientiam simplicem, tum animae aliam, tum etiam reminiscentiam nominat. Ex iis deniq; simplicibus scientiis &c: Legantur subsequentiâ usque ad finem. Et in c. 15. de immortalitate animae p. 81. ex Platone demonstrat: cognitionem primarum propositionum scibi-
lium esse reminiscentiam: Verba ita se habent: Neq; aliter discere quicquam possumus, quàm per recordationem eorum, quae quondam novimus. Et paulò post: Reminiscendo intelleximus ex parvis acceptionibus à quibusdam secundum partem incidentibus, reminiscentes eorum, quae iam dudum cognove-
ramus.

ramus, quorumvè oblivionem tum primum perpesi sumus, cum
primùm animae in corpora descenderunt. &c:

§. 8. Amicus Plato, sed magis amica veritas, quã
strenuè motus Aristoteles, Discipulus Platonis, dogma Pla-
tonicū adeò fecit irritum, ut nihil amplius sit, quod Platonem
ab extremã absurditate liberare queat: Memor verò procul
omni dubio fuit *Stagirita* illius triti: non videndum est, quis
sit, qui dicat, sed quid dicat: Dissipientes Praeceptores di-
ligendi sunt, sed adhaerendum est certioribus. Vid: *l. i. τῶν*
μετὰ τὰ φυσικὰ Aristotel. & in primis quidem *c. i. & 7.* In septi-
mo enim capite Textu quadragesimo nono suam declarat men-
tem & rejicit Platonis opinionem de reminiscentiã, aureis
certè verbis: *Εἰ τυχάνει ἡ ὀπίσθημι σύμφυτος ἔσται, θαυμαστὸν*
πῶς λαμβάνομεν ἔχοντες τὴν κρατίστην τῶν ὀπίσθημῶν: ἐπὶ πῶς πᾶς
γινώσκειν ἔκ τίνων ἐστὶ καὶ πῶς ἔσται δῆλον. Et paulo post: *ὧν ἐστὶν*
αἱ ἀθροισαί, ταῦτὰ πῶς ἂν τις μὴ ἔχων τὴν αἰσθησὶν γνοίη, καὶ τοὶ ἔδει,
εἴγε πάντων ταῦτα στοιχεῖά ἐστιν, ἐξ ὧν ὡσπερ αἱ σύνθετοι φωναὶ
εἰσὶν ἔκ τῶν ὀκειῶν στοιχείων: *Bessarion Cardinalis Nicenus* ita
verit: *Si innata nobis est Scientia, mirum est, quomodo nos fu-*
git, optimam scientiarum habentes. Item quo pacto quis cogno-
scet: ex quibus est & quomodo manifestum erit? Item quorum
sensus est; ea quomodo quis noscet sensum non habens? Atqui o-
porteret: Siquidem eadem cunctorum elementa sunt, ex quibus
sicuti compositae voces ex propriis sunt elementis. Argropy-
lus Byzantius sic exposuit: *Si est insita nobis rerum scientia:*
mirabile est profectò, quo pacto nos lateat potissimam scientiam
habere. Praeterea quonam pacto quispiam cognoscet, ex qui-
bus sunt omnia & quonam modo patebit? Praeterea quonam
modo quispiam sensum non habens, ea quorum est sensus, cogno-
scet. Oportebat tamen: si omnium ea sunt elementa, ex quibus
perinde atque compositae voces ex elementis propriis constant.
Quibus Philosophi verbis quid verius, quid clarius? Hoc vult
Aristoteles: Si nobis scientia insita esset, non utique nos late-
ret, praesertim cum scientiae, quò certiores sunt, eò minus

laterē possint eum, à quo possidentur, sive congenitae fu-
 erint, sive acquisitae. Si nobis esset naturaliter impressa
 scientia omnium rerum, utique etiam indita nobis esset sci-
 entia rerum sensibilibum, & consequenter ii, qui ab ortu sen-
 su aliquo orbatī essent, haberent scientiam eorum, quae illo
 sensu, quo privati essent, percipiuntur: hoc autem est &
 contra veritatem & contra experientiam: nec enim qui coe-
 cus natus est, quicquam intelligit de coloribus, quatenus co-
 lores sunt, nec surdus eodem modo quicquam de vocibus:
 non g. salvā veritate *Platonicis* concedi potest, scientiam o-
 mnium rerum esse à primo ortu animo humano inditam &
 impressam: Necessarium ergo esset cognoscere sensibilia,
 quod tamen est impossibile sine sensu: quia, ut modo dixi-
 mus deficiente sensu, deficit scientia, quae est secundum il-
 lum sensum, sicuti patet ex *1. post. Anal. Textu 33.* ut merito ma-
 gni faciamus verba Philosophi: *Ἐν τοῖς εἶδεσι τοῖς αἰσθητοῖς τὰ
 νοητὰ ἐστὶν, γὰρ τε ἐν ἀφαιρέσει λεγόμενα, καὶ ὅσα τῶν αἰσθητῶν, ἔχεις
 καὶ πάντα: καὶ διὰ τὸ ὅτι μὴ αἰσθανόμενος μηδὲν, ἔδει ἀνμάτοι,
 ἔδει ζυγίαι.* *Jul. Pacio* sic sonant: *In speciebus sensibilibus sunt in-*
telligibilia, tam ea, quae in abiectione dicuntur, quam ea, quae
sunt sensibilibum habitus & affectiones: ideoque is, qui nihil senti-
tit, nihil discere aut intelligere potest. l. 3. de animā, c. 9. text. 39.
(edit. Guilelm. Duvall.) Placuerunt valde nobis super locum
 ex *1. Metaph. l. citatum Thomae Aquinatis lect. 17. p. 24. Jo-*
hannis Duns Scoti Summ: 3. p. 52. Petri Fonsecae Lusitani in
explan: p. 303. & 304. Commentaria. Plura talia sunt au-
 rea *Aristotelis* adversus *Platonis* falsam opinionem monita,
 quibus idem ostendere possumus, verum nec vacat, nec lu-
 bet.

§. 9. Quid? num apprehendenda est sententia opti-
 mē defensa à *Recentioribus*, si multitudo minus rectē sentien-
 tium opinioni planē improbabili patrociniū parere po-
 tuisset: Numne dicemus cum ipsis: certam primarum pro-
 positionum notitiā nobis à primā infantiā esse insitam &
 à na-



à naturâ, antequam ratio se exerere ullatenus queat, inscri-
ptam, ingenitam esse hominis animae, ut ex utero materno
eam afferat sibi que coevam habeat: congenitas esse homi-
num animis notiones & conceptus, unde omnis cognitio,
quae disciplinis traditur, promanet & derivetur: habitus
primorum principiorum innatos esse mentibus nostris & à
naturâ nobis immediatè concessos? Urgebimusnè *authorita-
tem scripturae, experientias, rationes*: has quamvis multi ur-
geant, non tamen Aristotelicis principiis tanquam lacte
materno enutritis patet, quomodo ipsae urgeant.

§. 10. Contrarium nos docet consummatissimus
Aristoteles: stat adversa sententia in incluto *Peripato*: Ille pro
suo more, hoc est, ἀκριβῶς insistit augustissimo, ut firmis-
simè nobis persuasimus, veritatis tramiti, quando l. 3. *de ani-
mâ* c. 5. ab init: edit. *Duvall*. augusta dat verba: Περὶ δὲ τῆς μο-
εὶς τῆς ψυχῆς, ὡς γινώσκει τι ἢ ψυχὴ καὶ φρονεῖ, σκοπέειον, τίν' ἔχει
διαφορὰν, καὶ πῶς ποτε γίνεται τὸ νοεῖν: Εἰ δὲ ἐστὶ τὸ νοεῖν ὡς περὶ
τὸ αἰσθάνεσθαι, ἢ πάσχειν τι ἀπὸ τοῦ νοητοῦ, ἢ τι τοιοῦτον ἔτερον:
Ἀπαρτὸς ἄρα δεῖ εἶναι, δεκτικὸν δὲ τῶν εἰδῶν, καὶ δυνάμει τοιοῦτον:
ἀλλὰ μὴ τῶτο καὶ ὁμοίως ἔχειν, ὡς περὶ αἰσθητικὸν πρὸς τὰ αἰσθη-
τὰ, ἔγω τὸν νοεῖν πρὸς τὰ νοητὰ: Ἀνάγκη ἄρα, ἐπεὶ πάντα νοεῖ,
ἀμυγῆ εἶναι ὡς περὶ φησὶν Ἀναξαγόρας, ἵνα κρατῆ ἡ τῶτο δ' ἐστὶν,
ἵνα γνωρίζῃ: παρεμφαινόμενον γὰρ κωλύει τὸ ἀλλότριον, καὶ ἀντι-
φράττει: ὡς μὴ αὐτὸ εἶναι φύσιν πᾶσι μηδεμίαν, ἀλλ' ἢ ταύτην, ὅτι
δυνατόν. ὁ ἄρα καλούμενος τῆς ψυχῆς νοεῖς (λέγω δὲ νοεῖν, ὡς διανοεῖται
καὶ ὑπολαμβάνει ἢ ψυχὴ) ἔδει ἐστὶν ἐνεργεῖα πῶν ὄντων πρὶν νοεῖν: *Pa-
cius* sic interpretatur: *De parte animae, quâ cognoscit anima &
prudentis munere fungitur, considerandum (est) quam habeat
differentiam, & quonam modo fiat intelligere: (text. 1.) Ergò si
intelligere est ut sentire: aut pati quiddam fuerit ab intelligibi-
li, aut aliquid aliud ejusmodi: (text. 2.) Impatibile igitur (id,
quod animae pars intellectiva dicitur) esse oportet, sed aptum
ad recipiendam speciem: & potestate tale, non tamen hoc: &
similiter habere, ut sensitivum ad sensibilia, ita intellectum ad
intel-*

intelligibilia (text. 3.) Necesse est g. eum qui omnia intelligit, esse non mixtum, sicut ait Anaxagoras, ut superet: hoc autem est, ut cognoscat. Quod enim intus apparet, prohibet alienum atque obstruit: (text. 4.) adeò, ut non sit ejus ulla alia natura, quam haec ut sit possibilis. Qui ergò vocatur animae intellectus (is, inquam, intellectus, quo anima ratiocinatur & existimat) nihil actu est eorum, quae sunt, antequam intelligat. (text. 5.) Porro sub finem cit. capituli verbis verè aureis ita nos totòs informat: δυνάμει πως ἐπὶ τὰ νοητὰ ὄντας: ἀλλ' οὐτελεχείαι ἔδεν, πρὶν ἂν μὴ νοῦν: δεῖ δ' ἔστω, ὡς περ εἰ γραμματεῖω, ᾧ μὲν ὑπάρχει οὐτελεχείαι γεγενημένον: ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τῷ νοῦ: Intellectus potentiâ quodammodo est intelligibilia ipsa, sed actu nullum eorum est, antequam intelligat: Sic autem oportet in ipso nihil esse, perinde ac in Tabulâ nihil est actu scriptum, antequam actu scribatur. Conf. c. 6. ejusd. l. text. 17. 6. Ethic. ad Nicomach. c. 6. text. idem quam plurimis aliis locis traditur clarissimè, & hanc in rem totus liber tertius de animâ est valdè commendabilis.

§. II. Adduximus verba Philosophi, non ut personis, sed ut rebus aestimemus: Scitent verba citata Aristotelis tanto argumentorum pondere, ut nihil putemus nos errare, si sufficientes dixerimus rationes: Campum adversa sententiarum spinis obsitum hâc vice, dum breviori nobis viâ eundem est, nolumus ingredi: dudum hoc fecit B. Zeisold. Philosophus, dum viveret, celeberrimus & Peripateticae Philosophiae fortissimus Propugnator & heros, Praeceptor post fata colendissimus, in absolutâ suâ de Notitiis naturalibus dissertatione, & praecipuè quidem Sect. 2. Concl. 1. p. 69. & seqq. Ubi tanta rerum testimonia adsunt, quid opus est levioribus nostris verbis? Sufficiat nobis, dedisse occasionem, quâ venatum ibimus exercitium Disputandi contra hoc negotium: Nostra mens est, intellectum nostrum naturaliter nunquam intelligere, nisi 1. receperit speciem ab objecto. 2. eâ informatum actum intelligendi ex se elicuerit, quem tandem 3. in se recipit, unde eun-

eundem ex naturâ suâ ab omnibus speciebus atq; ab omniâ
notitiâ denudatum esse colligimus: Certi sumus, intellectum
naturaliter non posse intelligere, nisi recipiat speciem: E.
pro firmo habendum esse ducimus, intellectum non posse in-
telligere, nisi intellectionem receptione speciei sibi acqui-
verit: Intellectus noster non dicitur cognovisse, nisi co-
gnoverit E. nec cognovisse dicendus est, nisi ipsam rem co-
gnoscendo acquisiverit: Omnis ergo cognitio naturalis de se
acquisita est, etiam cognitio manifestissimarû propositionum.

§. 12. Quid nunc agendum est? numne avidi erimus
novitatis, si nova opinio dicenda est, quam ἑείον (ita *vete-*
ribus dictus est *Aristoteles*, quibus *Plato* δαίμωνιον dicebatur)
ante tot secula narravit, examinavit, enervavit, confuta-
vit. Hoc est: num quid revocabimus in dubium omnia?
Benè! fiat. Sed quomodo? Primò ob oculos nobis po-
namus omnia illa, quæ à sensibus accepimus, nempe coe-
lum, terram, & similia, atque etiam nostrum corpus, quæ
omnia eousque in rerum naturâ esse putavimus: Quid rùm
postea? dubitabimus de eorum certitudine: Cur? quia de-
prehendimus, sensus nos interdum fefellisse: Ast pruden-
tiæ est, nunquam nimis fidere iis, qui nos vel semel dece-
perunt: In somnis nobis sæpè persuasimus multa extra se
verè existere, in quibus postea nos delusos esse, clarissimè
fuimus experti: audivimus sæpè alios etiam vigilantes af-
firmasse, se in membris, quibus dudum tamen caruerunt,
sensisse dolorem: nulla quoque nobis dubitantibus signa ap-
parent, quibus somnum à vigiliâ certò dignoscamus. Du-
bitamus ergo an ullae res sensibiles aut imaginabiles exi-
stant: dubitamus, an sedeamus, an stemus, loquamur,
disputemus: an nasum habeamus & phantasiâ: nec sine
ratione dubitamus de nostri corporis existentiâ? Ponamus
ob oculos nobis omnia universalia, omnes demonstratio-
nes, omnes Mathematicas veritates: Videntur quidem
haec ipsa nobis certiora, quàm ea, quæ à sensibus hausimus,

C

ratio-

rationem tamen deprehendimus de iis dubitandi: quoniam alii etiam circa ea errarunt, & praecipue quoniam quaedam nostrae menti infixae est vetus opinio, Deum esse, qui potest omnia, & à quo nos tales, quales existimus, putamus esse creatos: forsitan Deus nos adeo fecit, ut semper fallamur; etiam circa illa, quae nobis clarissima videntur. Quando enim sic de omnibus mens nostra dubitat, tum possumus omnia praejudicia deponere, tunc causam erroris detegere possumus, tunc è mente nostrâ eruere possumus omnis certae cognitionis fundamenta, fundamenta solida, firma, inconcussa, quibus omnis cognitio superstruenda est. Dum enim nunc inquirimus, num omnia, quae sub nostram cadere possunt cogitationem, in dubium vocaverimus, facile nobis est deprehendere, quòd, licet de omnibus, & quae per sensus hausimus, & quae per intellectum percepinus, dubitaverimus, unum tamen adhuc sit reliquum: illud nimirum, num nos ipsi, qui dubitaveramus habere caput, manus & pedes &c. cogitemus? Hoc enim accuratè examinantes, nulla ex haecenus datis rationibus est, quae nos moveat, ut de hoc, an cogitemus, dubitemus. Nam quamvis somniantes aut vigilantes dubitemus, cogitamus tamen, & quamvis alii ipsi circa alia erravissent, nihilominus, quoniam errabant, cogitabant: Nec ullum nostrum Autorem fingere possumus, qui nos circa hoc decipiat: Imo, qui nos decipere vult, quòd plures affert dubitandi rationes, eò plura adfert de se argumenta, quòd ipse cogitet & existat. Adeo ut quocumque quis se ad dubitandum vertat, cogitur nihilominus in has voces erumpere: dubito, cogito, Ergò sum. Hoc est solidum fundamentum omnis certae cognitionis nostrae: revocentur omnia in dubium, hoc nequaquam potest. De nulla re possumus absolute certi esse, quamdiu nescimus nos existere: Nos sumus, hoc est, quod primò cognoscimus; hoc non est primum cogni-

cognitum, nisi quatenus cogitamus: Cogito, E. sum: ex hoc deinde fluit omnis nostra cognitio.

§. 13. Sed quid diximus haecenus, nostra certe non fuerunt verba, sed nostra somnia: Absit, ut nugemur, utque ludamus in re seriâ. Novimus probè: quòd sensus nostri nec fallant, nec fallantur, modo omnia requisita, quae quivis sensus, ut supra diximus, connotando rigorosissime exigit, praesto sint: adsit e. g. Spiritus animalis per nervos decenter influens: objectum adsit idoneum, justam servans distantiam, decentem tenens situm, sit benè constitutum & ad operationem sensitivam rectè dispositum sensorium (h. e. illa corporis pars, quâ objectum sensibile percipimus) sit rectè comproporcionata sensui species sensibilis (qualitas illa, quâ objectum sensibile cum sensu unitur, imago ipsius objecti sensibilis) ut satis intrare sensorium valeat atque per illud diffundi possit, adsit corpus intermedium, per quod imago rei sensibilis commodè ferri possit & ad sensorium deferri, & quae sunt huiusmodi alia, sensus hic vel ille nos haud decipiet. Novimus probè, nos in somno non posse sentire, adeoque nunquam experti fuimus, sensus nostros in somno errasse: τὸν γὰρ αἰσθάνομενον τῶν ἐν ἐνερθεύοντων νομίζομεν ἔχειν ἐν ἐνερθεύοντι πάντα, ἢ τὸ ἐξωθεν ἐν αἰσθάνοματι, ἢ τὸ ἐν αἰσθάνοματι κινήσεων, inquit Philosophus l. de somno & vigiliâ c. 1. (edit. Duvall. p. 91. Lit. A.) qui sentit, eundem censemur vigilare atq; vigilantem omnem cognoscimus, aut quia externum motum aliquem sentiat, aut quia intestino aliquo feriat: & paulò post hoc ipso capite summus Aristoteles sat scitè differit: ὁ ὕπνου πάθος ἢ τὸ αἰσθάνομα μὲν ἔστιν, οἷον δὲ σμῆνος ἢ ἀκίνησις ἔστιν: Somnus affectio quaedam sensoriae partis, quasi vinculum quoddam & immobilitas (cessatio) est primi sensitivi, cur ergò nugas vellemus agere, h. e. ex eo, quod somniaverimus per somnum hoc l. istud vidisse, aliquid certi colligere. Satis quoque Aristoteles per integrum citatum librum, in primis verò integro ci-

et *capite* nobis signa exposuit, per quae sufficientissime somnum à vigiliâ possumus cognoscere: Citius quoque sibi persuaserit quispiam, se sentire, quàm se cogitare. Et quòd Deus neminem fallat, novimus, quia novimus ex lumine naturae, Deum esse ipsam veritatem.

§. 14. Quae tandem decisiva speranda est? Numne forsitan peculiari disciplinâ opus est, labore, industriâ, informatione, monitore, doctore, Praeceptore, quò ad primas perveniamus & manifestissimas propositiones: In hâc viâ praeceuntes habemus *Viros magnos*, qui pro *Noologiâ suâ* pugnant tanquam peculiari & à coeteris scientiis distinctâ scientiâ, & quidem tali, quae à *Doctore* doceri aut multo studio disci debeat: Rationes, quibus (ut loquuntur vulgò) propugnant suam Helenam, vel convincunt nos vel bello implicant: Inter potissimas sunt, quando argumentantur I. Si omnis disciplina praesupponit aliqua, ex quibus tamen scientificè colligit, sequitur, quòd peculiaris detur disciplina, in quâ ea, quae à reliquis praesupponuntur, tractentur. Sed verum est prius E. & posterius. Consequentia est manifesta: Nam si quaelibet disciplina principia sua tanquam certa praesupponit, sequitur, quòd ea vel confirmata dudum fuerint, vel confirmanda sint in aliâ superiori disciplinâ. Prius patet: Si enim quicquid traderetur in disciplinâ, ab hâc ipsâ per rationes à priori explicandum esset, nunquam pervenire posset Doctor talis disciplinae ad suas propositiones scibiles. II. Si sensibilia, etiamsi omnibus pateant, certam tamen sibi vendicant disciplinam, quâ docentur, sequitur, quòd etiam propositiones manifestissimae, licet sint manifestissimae, certam, quâ doceantur, exigant disciplinam. Prius patet: sic calidum, frigidum, siccum, humidum, nigrum, album, lapidum, odoratum &c. per se sentiuntur, & tamen de iis certae sunt disciplinae; E. & posterius verum sit, necessum est. III. De quibuscunque, in actu signato spectatis, certae & peculiare affectio:

fectiones demonstrari possunt, illa ipsa per se spectata certam sibi vendicant disciplinam, quâ doceantur vel discantur. Atqui de principiis primis in actu signato spectatis, certae & peculiare affectiones demonstrari possunt. E. sibi vendicant certam disciplinam, quâ doceantur vel discantur. Major patet, quia nec Aristoteles, nec ullus accuratiorum negat, haec tria sufficere ad peculiaris scientiae constitutionem: peculiare subjectum, certa axiomata & demum peculiare affectiones. Min. probatur, quia de principiis primis in actu signato spectatis, demonstrari possunt: veritas, immedietas, indemonstrabilitas, infallibilitas, seu quod sint prima, immediata, indemonstrabilia, manifestissima, infallibilissima &c.

§. 15. Hanc de ortu primorum principiorum opinionem recipiendam esse, plurimos habemus *Autores*, qui tamen nos, quamdiu stat inconcussa veritas principiorum *Aristotelicorum*, nunquam habuerint sequaces. Etenim etsi vel maxime non improbemus, dari habitum primorum principiorum, quis enim est, qui unquam hoc negavit? hunc tamen peculiarem & à reliquis distinctam dicere scientiam, talem scilicet scientiae habitum, qui à Praeceptore aut multo studio disci debeat, disuadet firmissimis rationibus *summus Aristoteles*, cujus fides longè major est, quàm ut eleuet eam unius vel alterius recentioris autoritas rationibus, quibus spes fiat victoriae, destituta. Siquidem firmissimè persuasi sumus, hanc, quae principiorum primorum dicitur, notitiam unius cujusque hominis propriam inventionem sine singulari meditatione, sine labore, sine multo exercitio, sine studio, sine monitore, sine Doctore, sine Praeceptore acquiri posse, inque quovis mortalium unam vel alteram scientiam sibi comparaturo praesupponi, ut ex 3. *de animâ c. 4. text. 8.* colligi potest, luculentissimè verò & fat eleganter constat ex I. *Metaph. c. 7. text. 47. & 48. & VI. Ethic. c. 3.* Et fanè si habitus primorum principiorum esset peculiaris disciplina,

quae disci aut doceri posset, daretur aliquid primo prius, imò daretur progressus in infinitum: quia omne, quod docetur, ex priori & notiori declaretur necessum est: docere enim est causam rei assignare, 1. *Metaph.* 2. Quorumcunque veritas in se cuiusvis obvia est, horum cognitio nullam peculiari indiget disciplinam. Paucis: si principia prima peculiari disciplinam docenda aut discenda essent, sanè docenda vel discenda essent, aut quatenus spectantur secundum se, aut quatenus ponuntur in esse primorum principiorum, è quibus conclusiones maxime scibiles sunt deducendae: Non prius: Nam si e.g. haec principia. Impossibile est idem simul esse & non esse, Totum est majus quamlibet sua parte, quatenus absolute spectantur, in super habitam ratione principiandi in actu secundo spectata (principalitate, ut barbarè loquuntur *Scholastici*) per peculiarem discenda aut docenda essent scientificam disciplinam: sequeretur utiq; accuratam horum terminorum: ens, non-ens, idem, impossibile, simul, totum &c. explicationem non esse petendam ex *Metaphysicâ*, sed è *Noologia*, quod tamen & contra naturam est *Metaphysicae*, & omnium saniorum *Philosophorum* beneplacita. Non posterius: Nam principium, quò tale, perpetuum, & quidem realem, respectum dicit ad id, cuius est principium, hoc est, principiatum: Sunt enim principium & principiatum relata: Jam vero relatorum, imò in universum omnium oppositorum, eadem est scientia vel disciplina. Vid. *Aristoteles* 9. *Metaph.* c. 2. Sit nunc ita, quòd prima principia pertineant ad istum habitum, ad quem conclusiones maxime scibiles pertinent, quis non, si vel maxime errare velit, dixerit, *Metaphysicae*, eidemque soli, tractationem primorum principiorum formalissimè congruam esse & maxime propriam: Talia enim principia, si prima sunt absolute, aut communia erunt omni Enti, adeoque non dabuntur, nisi in genere Entium: aut convenient quoque non-entibus. Non hoc: Nam quomodo non Entis potest esse principium?

E. il.

E. illud, & per consequens, sola Metaphysica versabitur circa eadem, quia sola Metaphysica Ens, quatenus Ens est, considerat, imò nullâ viâ salvabitur: Metaphysicam esse sapientiam, quod tamen nemo sine rubore negat, si tractatio primorum principiorum eriperetur Metaphysicae? quid enim Sapientia aliud est, quàm intellectus primorum principiorum, *leg. Aristot. 6. Ethic. c. 7. & 1. Metaph. c. 2.* Quomodo Metaphysica maneret omnium scientiarum maximè princeps & honoratissima scientia, quomodo prima Philosophia, si omnis cognitio ejus dependeret ab alio habitu, quo docenda aut discenda essent principia Metaphysicarum conclusionum.

§. 16. Ad Argumenta in contrarium allata respondere, non est ire per extensum funem: Ad 1. Resp. neg. Consequentiam & probationem ejus. Certitudo primorum principiorum, ex quibus quaelibet scientia colligit, ut modo diximus, per se est manifesta, & si doceri possent prima principia, necessariò sequeretur, fieri progressum posse in infinitum: imò ponamus, reliquas scientias omnes praeter Metaphysicam ab aliâ scientiâ sumere principia, non tamen assumere possent nisi à Metaphysicâ, quia Metaphysica Sapientia est, nec quisquam magis intelligens est, quàm sapiens. Ad 2. & 3. Argument. Resp. concedendo majorem, imò totum argumentum: Licet principia prima sint manifestissima, notissima & certissima: Licet sint κοινὰ δόξαι, opiniones communes, seu, ut Interpretes loquuntur, κοινὰ ἐννοιαί, communes notiones, quae cum lacte materno quasi hauriuntur & ab omnibus cognoscuntur: tractari tamen possunt in certâ disciplinâ: Verùm inde absurdè colligitur, Noologiam esse peculiarem scientiam, quae tractationem eorum sibi vendicet. Satis clarè hoc indicat Aristoteles, quando sub initio l. 1. Prior. Analytic. se totum in eo esse declarat, ut ostendat, Analyticam esse *ἡ δὲ ἀναλυτικὴ ἐστὶν ἐπιπένητος ἀπὸ δεικτικῆς* & XI. Metaph. c. 1. expressè Analy-

nalyticam effert nomine τῆς σκοπέσεως τῆς ἀποδείξεως τῆς ἐπιτήμης. Si E. Analytici est considerare scientiam & demonstrationem, ejuserit etiam considerare principia demonstrationum, quomodo sint eruenda & investiganda, quem modum probandi admittant, qui debeant esse immediata, indemonstrabilia, manifestissima, infallibilissima &c. Ipse *Aristoteles* eundem modum tractandi principia prima luculenter tenuit, ut ex lectione totius lib. I. *Poster. Analytic.* satis apparet. Hæc ὡς ἐν παρῶν dicta sunt: Ex professo post *Aristotelem* hoc exposuit *Vir in Philosophiâ Peripateticâ versatissimus, plurimum Reverend. & Excellentiss. Dn. Melchior Zeidler / S.S. Theologia Professor Publ. in Academiâ Regiomontanâ celebratissimus & Concionator Aulicus, in accuratissimo suo discursu Philosophico de Noologiâ: an peculiaris aliqua & distincta sit scientia? Anno 1662. publicè habito, qui clarissimis obtinuit rationibus μαθητολογίαν Noologorum, & qui in noologiis ipsorum confusam & nihil ad rem facientem doctrinam liceat invenire, prætereaque nihil, hujus aureas theses circa hoc negotium exosculamur.*

§. 17. Ut E. seposito partium studio, variisque opinionibus variorum relictis, brevissimè, quod res est, aperiamus, pro nobis loquentem sistimus *Philosophum Consummatissimum, Aristotelem*, cujus aurea verba exercitationi nostrae ultimam facilè imponunt manum: Sic enim ipse tradit ortum primorum principiorum in mente humanâ: ἐκ αἰσθήσεως γίνεται μνήμη: ἐκ δὲ μνήμης πολλάκις τὸ αὐτὸ γινόμενης ἐμπειρία: αἱ γὰρ πολλαὶ μνήμαι ἢ αἰσθητῶν, ἐμπειρία μία ὄσιν: ἐκ δ' ἐμπειρίας ἢ ἐκ παντὸς ἠρεμήσαντι τὸ καθόλου ἐν τῇ ψυχῇ, τὸ ἐνὸς ὡς τὰ πολλὰ, ὃ αἱ αἰσθητῶν ἐν ἐνῇ ἐκείνοις τὸ αὐτὸ, τέχνης δεχθὲν καὶ ἐπιτήμης: Ἐὰν μὲν περὶ γένεσιν, τέχνης: εἰάν δὲ περὶ τὸ ὄν, ἐπιτήμης: Ex sensu fit memoria sensitiva: Memoria verò in nobis existit sensitiva, quando anima nostra sensitiva conservat

vat

vat speciem rei sensibilis à sensibus acceptam: Hanc speciem & imaginem rei sensu perceptae Phantasia cognoscit, & ut olim perceptam, & ut imaginem: Hinc si anima nostra sensitiva plures asservet species, plures quasi sunt memoriae: eae inter se collatae secundum similitudinem gignunt experientiam (Complures enim ejusdem rei memoriae unius experientiae facultatem efficiunt. *Vid. Aristotel. 1. Metaphys. c. 1. Conf. 1. de memor. c. 1.*) quae similitudo licet reverà sit ipsum universale, ab experientiâ tamen nondum distinctè apprehenditur, ut natura universalis, sed haec tanquam singulare quid transfert istam similitudinem ab uno individuo ad alterum & juxta hanc instituit collationem: Anima quippè sensitiva materialis est: Universale verò ut sic cognoscere, id unice est spiritualis potentiae: Nullus sensus ad ipsas quidditates pertingit, sed omnes ac singuli in solis sensibilibus ac singularibus qualitatibus quasi haerent; aut, quod summum Phantasiae est, si substantiam percipiunt, percipiunt saltim, quando alicujus actionis vel passionis per sensus cognitae est principium: ad alia verò nè quidem phantasia pertingit, uti pro suo more, hoc est, ἀνεξετάτως nos informat *Vir μετὰ τὴν κλάω-τος, Amplissimus & Excellentissimus DN. Caspar Posnerus, Philos. naturalis Profesor Publicus in hac Almâ Salanâ Celebr- rimus, Dominus Patronus, Promotor & Hospes noster, cui u- terque nostrum summam observantiam debet, in aureo Collegio de animâ, part. post. de animarum speciebus, sect. 4. de animae intelligentis naturâ & operationibus, §. 19.*

Itaque intellectus noster, cum cognoscit similitudinem illam in omnibus singularibus inveniri aut non occurrere sibi singulare, in quo non deprehendatur, abstrahit illam similitudinem, è statu singularitatis s. objetivo funda- mentali (utro enim modo loquamur, perindè est: Vocatur status singularitatis & objectivus fundamentalis, quatenus

D

scili.

scilicet in individuis haec similitudo fundatur, radicatur & existit) deducit instatū universalem s. ideam: (liquidem idea hoc sensu nihil aliud est, quā ratio ab intellectu concepta in intellectu aliquid multis commune sistens) adeoque fabricatur universale, quod est principium artis, si sit περί γένεσιν: aut scientiae, si ad τὸ ὄν, ad id, quod existit, pertineat. Vid. integr. caput 19. l. 2. poster. Analytic. Aristotelis, dignum, ut totum memoriā accuratè teneatur, in primis §. 5. Consulantur interpretes in primis Graeci, hoc de loco, quibus, si non superavit eos, felicissimè aequalis extitit Vir nemini Aristotelicorum secundus Excell. Dn. Zeidler in disp. ante cit. §. 12.


§. 18. Nos, quia chartae & temporis penuria tacere jubent, verbis Philosophi tandem concludimus: ἅτε δὴ ἐνυπάρχουσιν ἀφωρισμένα αἱ ἕξεις, ἅτ' ἀπ' ἄλλων ἕξεων γίνονται γνωσιματέρων, ἀλλὰ ἀπὸ αἰσθήσεως. Οἷον ὅτι μάχη τροπῆς γενομένης, ἐνὸς σάντος, ἔπειρος ἔστι, εἴτ' ἔπειρος, ἕως ὅτι τὴν ἀρχὴν ἤλθει. ἢ δὲ ψυχὴ ὑπάχει τοιαύτη ἕσα, οἷα δύνανται πάσχειν τότο: Itaque nec insunt definiti habitus, nec fiunt ex aliis habitibus notioribus, sed ex sensu. Ut in bello, postquam acies in fugam conversa est, uno stante alius stetit, deinde alius, donec ad principium pervenit: Anima vero nostra talis est, ut possit hoc pati. Conf. Probl. Arist. Sect. 18. probl. 7.

Hic terminalia funto!

Post exantlatos duplices examinis æstus
ante Magisterium pulpita docta subis:
Sic pietas, moresque tui cum fruge probantur,
Sicque tuam studium præmia digna manent.


Præ Eximio Dn. Candidato de valdè commendabili pietatè, egregiis profectibus, vitæ integritate, deq; honoribus in Philosophiâ summis ex optimo merito propediem conferendis toto affectu gratulatur

M. VALENTINUS Besthem/Præses.









DISPUTATIO ACADEMICA
Quâ
ORTUS PRINCIPIORUM IN MENTE

HUMANA
secundum Aristotelis Philosophiam
defenditur,

Quam
Amplissimi & Spectatissimi
SENATUS PHILOSOPHICI

In Illustri Salanâ
gratioso indultu
publico Eruditorum examini sistit

PRAESIDE
M. VALENTINO *Zelthem*/
Hallensi Saxone

AUTOR-RESPONDENS
JOHANNES CHRISTIANUS *Benige*/
Visenâ Thuringus

Ad d. 4. Aug.
Anno M DC LXIX. *X 150 (76)*
Inacroaterio Philosophorum.

JENÆ,
Literis Joh. Jacobi Bauhoferi.

